VINDICIÆ CULTUS DIVINI,

ceu

PROPOSITIONES quædam THEOLOGICÆ,

De natura & objecto cultus Religiosi:

Quibus accesserunt, appendicis locô, Propositiones *paucula de orationibus viventium pro defunctis:*

Quas auspice D. O. M. cujus res hic geritur, & συζητήσιν moderante Venerabili & Clariss. Viro, D. D. ROBERTO BARONIO, SS. Theol. Doctore, ejusdemque Professore meritiss. & Facultatis Theologicæ Decano,

Pro SS. Theol. professione, ejusdemque Docturâ, tuebitur ANDREAS STRACHANUS Presbyter, *ad diem penultimum Decemb. Anno* 1634.

Ab aurora ad vesperam, in auditorio Theolog.

ACADEMIÆ REGIÆ ABERDONENSIS.



ABERDONIÆ,
Imprimebat Edwardus Rabanus, 1634.

REVERENDO ADMODVM

IN DEO PATRI,

ET AMPLISS. DOMINO,

PATRICIO,

MISERATIONE DIVINA

EPISCOPO ABERDONENSI,

SVPREMI SCOTORVM SENATVS CONSILIARIO CONSVLTISSIMO, ACADEMIÆ REGIÆ ABERDONENSIS CANCELLARIO EMINENTISSIMO,

DOMINO A CORSE, &c.

EN Tibi (Reverende & Sanctissime Præsul) ante omnes, cujus jussu, & autoritate, adhibitis Cleri ad id delegati concordibus suffragiis, Provinciæ huic capessendæ destinatus sum, pauculas hasce Propos. Theol. *sisto: tuoq; judicio omni animi submissione permitto. Temporis angustia, instituti ratio, & materia fœcunda nimis, si ἀκρίβειαν in his σκελετοῖς desideres, veniam exposcunt. Cui vindicias divini & religiosi cultus sacrare magis æquum, quam tibi, qui ut æqui inter homines, ita religiosissimus & devotissimus æterni numinis cultor, ut es, ita ab omnibus deprædicaris: quique Spiritus S. speciali donô, precum meditandarum, & exprimendarum facultate pulsquam vulgari polles. Et, ut fit,*

postquam

postuam quà seniô, quà morbô studiosis familiari, corporis membra, elanguerunt, pietatis exercitiis meditationi presertim, & orationi, mage sedulò operam navas, & entheos Spiritus motus, majori quam antea alacritate, anima exprimit, dum corpus moveri vix sustinet. Cujus arbitrio & patricinio se, suaq; commendabit, S. Scientiæ in hac Cathedra Professor, præterquam tuo: cujus auspiciis, imo magna, ex parte sumptibus fundata est. Nec aliud est, quo Ecclesiæ, quam DEI misericordia moderaris, bono consulere magis potuisti, ut ipsa experientia comprobatum est. Postquam enim S. studium, quod diu ante in partibus hisce Aquilonaribus siluerat, loqui cœpit, DEVS bone! quanto in clero tuo subitò mutatio? quanta ejus jam eruditio? si hæc tempora cum prioribus componamus. Cæterum, quod omnes qui Ecclesiæ hujus bono non invident, & quanti ejus tua incolumitas intersit, non ignorant, tacitis votis sollicitant, mihi liceat idem palam profiteri: DEVM Opt. Max. cujus cultus me vindicem tenuissimum licet, profitcor, veneror, ut Ecclesiam hanc clementer aspiciat, teq; diu salvem & incolumem Ecclesiæ, Scholis, & Reip. nostræ velit.

Amplitudini Tuæ impensè
& humillimè addictus,

ANDR. STRACHANUS.

PROPOSITIONES THEOLOGICÆ,

De natura & objecto cultus religiosi, & de orationibus pro defunctis.

I.



APud eos, qui linguarum apprimè gnari sunt, in confesso est, nec in lingua sacra & primigenia; nec in lingua Græca (quam etiam sanctam esse voluit, jussitque DEUS, cum eâ consignari alteram S. paginæ partem effecerit) nec in lingua Latina, quæ post linguas sacras celeberrima est; nec denique in lingua nostra vulgari, quâ vernæ loqui solent, occurrere vocabula propria & peculiaria, quibus cultus DEO soli debitus exprimatur. Rationem si quæras, frustra sis: cum vocabulorum impositio voluntaria sit & gratis facta.

II. Doctores Ecclesiastici metuentes, ne temporis decursu, vocabulorum communis usus confusionem in rebus secum afferret, huic obviam ut irent, consilium inierunt cultum divinum ab omni alio, etiam, quantum ad voces, quoad ejus fieri potuit secernere: &, quod in jure fieri solet circa res, communitatem in proprietatem commutare.

III. Hoc intuitu adorationem à veneratione in usu communi distinctam cernimus: hancque in creaturarum cultu, illam in divino usurpamus. Cæteraque ejusmodi brevitati condono.

IV. Religiosa adoratio, cujus objectum hîc anquiritur, est actus ab habitu Religionis (quæ & θρησκεία, & εὐσέβεια, & θεοσέβεια vocatur) proveniens: omnesque partes officiorum divinorum complectitur, ad quæ DEO immediate præstanda, præceptis primæ legis tabulæ tenemur, &c.

V. Religio,

V. Religio, cujus actus elicitus & formalis est adoratio hæc, quæ inde RELIGIOSA dici meruit, est virtus supernaturalis, qua habiles & idoneæ redduntur creaturæ rationales, ad præstandum DEO cultum acceptabilem. *Rom.* 8. *vers.* 26. 1. *Cor.* 12. 3.

VI. Adorationis hujus actus quatuor sunt subordinati: quorū primus est infinitæ excellentiæ, majestatis, & perfectionum divinarum apprehensio & consideratio: Secundus est earundem pro creaturarum modulo existimatio: Tertius est voluntatis, & omnium potentiarum animæ demissio & prostratio quasi, dum enim mens majestatem divinam cum creaturæ tenuitate componit, voluntas, & ex ejus imperio aliæ omnes inferiores potentiæ tantæ majestatis contemplatione, pronæ & cernuæ, quasi fiunt: Quartus est submissionis internæ per actus exteriores contestatio, puta genuflexionem, capitis apertionem, &c.

VII. Objectum Religiosæ adorationis est sancta & increata Trinitas, Pater *Matth.* 26. 39. *Ioh.* 11. 41. & 17. 1. Filius *Act.* 7. 59. & 9. 14. 2. *Cor.* 12. 8. & Spiritus S. 2. *Pet.* 1. 21. *Luc.* 1. 67. & 70: Ceu tri-unus ille DEUS vivus, & verus *Deut.* 6. 13. & 10. 20. *Matth.* 4. 10. per CHRISTUM unicum mediatorem *Ioh.* 14. 13. 14. & 16. 24. 1. *Tim.* 2. 5. 1. *Ioh.* 2. 1. 1. *Pet.* 2. 5.

VIII. Omnes quotquot puræ putæ creaturæ sunt, sive mortalitatis conditione solutæ, sive eadem teneantur, esse adorationis Religiosæ indebitum objectum vehementer pertendimus, cum Theologis omnibus Ecclesiæ instauratæ *Rom.* 1. 23. *Act.* 10. 25. & 26. *Apocal.* 19. 10. & 21. 9.

IX. Iidem tamen libenter concedunt excellentiæ & perfectioni sive Angelorum, sive hominum, in variis gradibus, suum cultum deberi: ne dum idola abominantur sacrilegi fiant, contra mentem B. A. *Rom.* 2. 22. quem cōmuniter CIVILEM vel HUMANUM appellare amāt. Metuunt enim, ne si RELIGIOSUS dicatur, ex vocabulo scandalum exoriatur. His etiam rationibus adducuntur, primo quia sancti omnes, etiam ii qui ad

gloriæ statum evecti sunt, imo & ipsi Angeli beati *συμπολῖται* nostri sint *Ephes.* 2. 19: deinde excellentia quævis humana, etiamsi ordinis sit supernaturalis, eô ipsô quod in homine est, humana sit.

X. Non renuerent Doctores reformati cultum qui Sanctis exhibetur propter dona supernaturalia, sive gratiæ, sive gloriæ, à cultu illo, qui etiam *τοῖς ἔξωθεν* debetur, propter virtutes morales, vel propter honores civiles & politicos, etiam secundum nomen secernere; modò vocabulorum penuriâ non urgerentur.

XI. Nec ullus cordatus diffitebitur actum illum honoris, vel observantiæ, qui Sanctis propter dona supernaturalia defertur, religiosum dici posse, eo respectu, quo eleemosynam erogare, aut aliquem alium actum præceptis secundæ legis tabulæ imperatum præstare, actus religiosus dicitur, imo ipsa religio *Iac.* 1. *vers.* ult.

XII. Quantum ad rem ipsam, piaculum & detestabilis sacrilegii crimen esto Archangelis ipsis, vel ipsi etiam B. Virgini, cui honoris primatum supra alios omnes quotquot de universitate creaturarum sunt, si CHRISTUM hominem excipias, defert Ecclesia, cultum aliquem præceptis primæ tabulæ commendatum, quique religiosus in prima notione nuncupatur, exhibere.

XIII. Optimè Epiphanius, in hæresi Collyridianorum DEI & creaturarum cultum suis, quasi, limitibus distinxit: ubi ait in honore sit Maria: Pater, Filius, & Spiritus S. adorentur. Mariam nemo adoret.

XIV. Doctrina Ecclesiæ Romanæ de cultu religioso, ea ex parte, primò censuram meretur, qua humanam CHRISTI naturam, ceu quod idem est, CHRISTUM hominem secundum illam naturam, & B. Virginem, propter maternitatis relationem præsertim, in eodem honoris gradu collocant: quem HYPERDULIAN vocāt, vocabulô ad id confictô, & piæ antiquitati incognito.

XV. Illud Suarezii 2. t. in 3. P. d. 22. S. 1. asserentis actum

actum cultus B. Virgini delati ab eadem virtute religionis procedere, qua ipse DEVS colitur, propter ordinem ad Filium, ipsis ejus gregalibus displicet Vasquezio, de Lugo, & aliis.

XVI. Secundò in reprehensionem incurrit Pontificiorum doctrina in hoc argumento, quod invocationem Angelorum & Sanctorum plurimi Romanenses impunè, & absque censura Summi Pontificis, non solum esse actum cultus religiosi, vel duliæ, aut orationis religiosæ, sed etiam eximium adorationis genus appellare non dubitent. Ita Bellar. l. 1. de Sanctorum Beatitudine, in ordine disputationis, aliique.

XVII. In contrarium, orationem religiosám ad DEVM solum, qui solus cordium scrutator sit, quique solus exaudiat, & vota nostra præstare possit, esse dirigendam, cum Christus monet, in solenni illa oratione, quam in perpetuum usum Ecclesiæ suæ commendavit Matth. 6. 9. tum S. Scriptura passim & ubique Psal. 50. 15. & Rom 10. 14. tum denique S. antiquitas contestantur: cujus tot sunt, tamque luculenta testimonia, ut ea omnia laudari affectata brevitas non patiatur. Instar multorum sunt, pro parte affirmativa Tertull. c. 30. Apol. communem Christianorum causam agens, Nos DEVM invocamus æternum, DEVM verum, DEVM vivuum: et paulo post; Hæc ab alio orare non possum, quam à quo scio me consecuturum: pro parte verò negativa Patres Conc. Laodic. qui Can. 35. vetant Angelos (nec Sanctorum alia ratio) nominari; in oratione intelligunt. Hoc enim est, aiunt, Idololatria abscondita, i. velò religionis palliata.

XVIII. Iniquè, in re seria lusit C. Perronus distinctionum ludibriis, in sua replic. de Sanct. invoc. ubi asserit DEO convenire Orationem directam, absolutam, supremam, finalem, et sacrificalem; Angelis autem, et Sanctis Orationem tantum obliquam, sive indirectam, relativam, subalternam, transitivam, et extrasacrificalem. Oratio enim omnis proprii nominis est actus religionis, ceu latriæ, ut loquuntur, et DEO maxime proprius. Et negotiatio sancti unius cum altero, quæ licita sit compellatio potius, aut advocatio, quam oratio aut invocatio dicenda

dicenda sit. Vide Archiepisc. Vsserium, contra Iesuitam Hibernum, in variis suorum operum locis, Crakanthorp. in defens. Eccles. Anglic. c. 58. aliosque.

XIX. Cum ritus Sanctos invocandi necessarius minimè sit, vel ipsis Patribus Concilii Trident. et post illos multis privatis Doctoribus in Ecclesia Romana confitentibus, tum quia nec disertò præceptô, nec laudabili exemplô in S. Scriptura commendetur (ut non inviti largiuntur Eckius, Canisius, Tannerus, aliique multi Pontificii) cùmque dolendâ experientiâ compertum sit multorum scandalorum materiam eam suppeditasse; cuivis pacis Ecclesiæ, et puri cultus æquè studioso cogitandum relinquimus, Annon è re Ecclesiæ esset, ad primævam precum simplicitatem, Sanctorum invocatione posthabita, confugere? Etsi enim ritus necessarii, et authoritate præceptorum divinorum commendati, propter scandala, et abusus, in desuetudinem abire sinendi non sint; Charitatis tamen regula, Regis Ezechiæ exemplo roborata, jubet ritus minimè necessarios, ubi in abusum, qui eorum legitimo usui præponderet, trahuntur, cessare.

XX. In Eclesia Romana, haud absque Idololatriæ discrimine, addo & crimine, non solum in locis publici cultus, prostant Imagines cum CHRISTI hominis, et Sanctorum; tum etiam invisibilis DEI et SS. Trinitatis; verumetiam palàm et publicè populo ad cultum religiosum proponuntur, disertè contra expressum DEI mandatum, Exod. 20. 4. 5. Cui præstando etiam Christiani tenentur, cum morale sit et perpetuum, cumque jam uel maxime CHRISTVS DEVM, Spiritu et Veritate colendum docuerit, *Ioh.* 4. 23.

XXI. Lepidæ et Metaphysicæ illæ distinctiones Imaginis et Idoli, sanctitatis absolutæ et relativæ, per se et per accidens, propter se vel propter aliud, *σόφαφαρμακα* sunt, quibus nunquam mederi possint Idololatriæ Ecclesiæ Romanæ. Certè veteribus planè inauditæ fuerunt, et post annos 800. quando Theologiâ primum abuti cœperunt exclusæ.

XXII. Quant

XXII. Quantum præsidii in his distinctionum larvis collocârit C. Bell. facilè perspexerit quivis, qui verba illa legerit L. 2. de Imag. Sanct. c. 22. ubi ait, Qui defendunt Imagines adorari Latriâ, coguntur uti subtilisſ. distinctionibus, quas vix ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus.

XXIII. Quàm imparati accedant Pontif. ab S. Antiquitatis subsidiis, ad infelix hoc certamen, de cultu Imaginum, docet Erasmus utriusque Antiquitatis peritisſ. in Catech. ubi constare ait, ex certis & probatis autoribus ad Hieron. usque ętatem, fuisse probatæ religionis viros, qui in Templis nullas ferebant Imagines: *Nedum earum adorationem.* Ipse C. Bell. loco jam citato, §. 3. reus fatetur Patres passim dicere Imagines non esse adorandas. Certè ante pseudosynodum Nicœnam nunquàm definitus est conciliariter Imaginũ cultus: cui non solum antè, sed et postea, per omnia sœcula, cùm à privatis Doctoribus, tùm Conciliis reclamatum est: horum Syllabum vide apud Crakanthorpium. c. 64. qui magnâ curâ eam consarcinavit.

XXIV. Spississimus est Aquinatis error, qui Imaginem CHRISTI, eodem cultus genere, quo ipse CHRISTUS colitur, adorandam scilcit, p. 3. q. 25, a. 3. contra mentem, vel ipsorum Patrum Concilii Nicœni secundi.

XXV. Incongruè Imaginibus tribuunt Pontif. sanctitatem minimæ entitatis, relativam viz. & tamen iisdem cultum maximæ entitatis, latrian viz. ut acutè, prout solet Eliensis in Resp. ad Apol. C. Bell.

XXVI. Sive cum Suarezio dicatur, cultum latriæ immediate deferendum esse Imagini *CHRISTI*, et illa mediante ipsi *CHRISTO*, d. 54. in 3. s. 3. Sive cum Vasquezio, q. 25. d. 108. c. 1. utrique cum Imagini tum prototypho deferri immediatè, tanquã uni complexo aut aggregato, saltem quoad cultum externum, Idololatria est formata, ut loquuntur, et superstitio: utrumque enim in vitio est, tam cum creatore, quam pro eo creaturam adorare: Imago autem omnis, sive secundum materiam, sive secundum for-

mam & σχέσιν consideretur creatum quid est, et nullô fundamentô institutionis Dominicę nititur praxis illa, qua exemplar in Imagine, vel per Imaginem colitur cultu religioso.

XXVII. Immanis est et prodigiosus Vasquezii error, qui tamen hyperaspisten invenit De Lugo, asserentis unamquamque creaturam, etiam Dæmonem ipsum, vel muscam adorari posse propter *DEUM*, ceu posse *DEUM* in iis adorari. T.1.in 3.d.110.

xxviij. Rem totam de usu cultuque Imaginum, Candido Lectori, Spalat. verbis, certę asteriscô dignis l. 7. de Repub. Eccles. c. 12. f. 75. repræsentabo; Si Ecclesia Catholica, inquit, diligenti trutinâ in altera lance poneret beneficia, quæ ex usu Imaginum capiuntur, in altera damna quæ occasione adorationis, et superstitionis existunt, hæc; proculdubie longè pręponderarent: atque adeò è re Ecclesiæ esset, si earum usus, *& quanto magis cultus*, omnino tolleretur de locis sacris et publicis, apertis præsertim jam postliminio Sacris Codicibus, quos linguâ vernaculâ legit vulgus.

XXIX. Cum Sanctorum spiritibus in cælis agentibus, qui sunt pars eorum potior, cultus religiosus non debeatur, multo minus eorum corporibus, aut ossibus, aut cineribus, aut si quæ alia sint eorum λειψάνα, cultus religiosus exhiberi potest, absque reatu Idololatriæ, et superstitionis damnabilis.

XXX. Horrendum est Idololatriæ crimen, vel ipsam crucem, sive in solidum, sive in partes divisam, in qua cum summis cruciatibus, & extrema ignominia, Sospitator noster vitam suam in sacrificium propitiatorium pro peccatis mundi DEO Patri obtulit, vel ejus signum, sive permanens, sive transiens cultu religioso adorare, Latriæ præsertim, ut non minus impie, quàm audacter asserit Scholasticorum Coryphæus. p. 3. q. 25. a. 4.

XXXI. Denique crassæ Idololatriæ rea deprehenditur Ecclesia Romana, cum non solum in usu augustissimi sacramenti corporis & sanguinis DOMINI, verum etiam extra ejus

ejus usum, Adorationem divinam & religiosam, non ipsi cujus corpus & sanguinem percipiunt, sed speciebus, ut loquuntur, et symbolis directè exhibent, nixi nuperô et novitiô Transubstantiationis commentô.

XXXII. Prava hypothesis, quâ credunt panem consecratum non amplius panem, sed CHRISTI corpus esse, eos Idololatriæ crimine non liberat, ut vult Spalatensis; sicut enim qui feram occidit, hominem esse ratus, homicidii crimen non defugit: ignorantia enim suppositi solum conducit ad minuendum reatum; ita qui panem vice *CHRISTI.* adorat, realissime ἀρτολατρέιας tenetur, licet ignorantia proficiat ad *DEUM* ei exorabiliorem reddendum, dummodo pœnitudine ducatur.

XXX*III.* Ex præmissis concludere fas erit, Ecclesiam Romanam iustas et graves causas præbuisse funesto huic et exitiali schismati, et divortio, quô proh dolor! miserè hodie afflicta est Ecclesia, et Respublica Christiana; dum toties admoniti de Idololatriç crimine, ad omnia tamen reformationis consilia obsurdescunt.

APPENDIX, DE ORATIONIBUS VIVENTIUM *PRO DEFUNCTIS.*

I.

CVivis in S. Literis, vel mediocriter versato, constare potest, nullô vel expressô præceptô, vel exemplô, orationes viventium pro defunctis inibi commendari.

II. Ritus tamen hic plurimis, iisque doctissimis Protestant. probatur v. g. autoribus Apol. Confes. August. Cheminicio, in Exam. Conc. Trid. et, si illi credamus, ipsi Luthero, Mentzero contra pistor. disp. 12. thes. 26. & 39. I. Gerardo T. 8. de. Morte p. 147. Fieldo de Eccles. L. 3. C. 29. & in Append

ad hunc

ad hunc Lib. p. 221. G. Vossio in disp. Theol. L. Andr. E. Wintoniensi, in resp. ad C. 18. L. replic. C. Perron. aliisq; plurimis, quos hic commemorare longum foret.

III. Et certè, si intra hosce articulos se contineant, nemini cordato damnari possunt aut debent orationes hæ, si viz. efflagitent viventes duntaxat, Primò gloriosam & maturam corporum, in die Adventus Domini Resurrectionem: Secundo plenariam utriusque cùm corporis, tùm animæ, in gloria secundùm omnes gradus, cùm essentiales, tùm accidentales, ut loquuntur, consummationem: quos articulos, tacite, secundâ petitione Orationis Dominicæ contineri, probabile est. Atque hæc eadem defunctorum animas pro seipsis jugiter exposcere nulli dubitamus.

IV. Protestantibus improbantur hæ orationes, quatenus iis subesse errores, sive Origenis de finali instauratione omnium etiam Dæmonum; sive eorum, qui animas statim ab interitu cum corporibus extingui asserunt, nec ante diem Resurrectionis universalis reviviscere; sive denique famosum illum Purgatorii Romanensium errorem.

V. Iisdem eædem haud placent, quatenus iis subesse possunt incertæ & lubricæ opiniones, primo de visione beatifica Sanctis ante diem extremum denegata (in qua opinione fuisse multos Patres, multis probabile est) Secundo de purgatione omnium in die extremi judicii: Tertio de pœnis, impiis in Tartaro minuendis per superstitum preces: Quæ quorundam etiam Patrum privata placita fuerunt.

VI. Hoc intuitu Casaub. in resp. ad Epist. C. Perron. nomine S. M. B. R. scriptâ affirmat, Eccles. Anglic. etsi hunc ritum in primis sæculis non damnet (quibus tamen ægrè evincent Pontif. factas fuisse orationes pro defunctis, eô sensu, quô hodie in eorum Eccles. fiunt, viz. pro liberatione animarum ex pœnis Purgat. quibus secundùm sensum afficiuntur) hodie tamen non putare sibi retinendum. Atque eandem esse mentem Eccles. nostræ Scotic. profiteri audeo.

TRI-UNI DEO GLORIA.